



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

8. Octobris. Quantum salus, & innocentia subit discrimen in mediis procellis, & tempestatibus iis, quas nunc bonorum & opum, nunc honoris & gloriæ, nunc voluptatum avidissimus turbo excitat. S. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

8. Octobris.

Quantum salus, & innocentia subit discrimen in mediis procellis, & tempestatibus iis, quas nunc bonorum & opum, nunc honoris & gloria, nunc voluptatum avidissimus turbo excitat. S. Ignat. epist. ad Hispan.

Misera hominum conditio! ut pisces hamo, ita modico rei amatae lucro attracti præda fiunt, dumque captant voluptatem brevissimam, capiuntur ipsi, libertate, gaudio, & quiete simul amissis.

Qui gaudet, contentus dicitur; qui tunc gaudet voluntas, cum habet, quidquid capere valet, aut volet, id est, quidquid optare. Omnia præter Deum grandi peccant parvitate, non explent animum, & tamen fatigant.

Pereant illa, per quæ periculum subire potest anima, mergantur potius, quam mergant. Quis tantillo emat tantum perire? fumo ruinam, perniciem aurâ, nemo prudens mercabitur.

Quamvis dilatentur, quamvis inflectantur hæ minutia, quæ vulgus bonorum titulo honorat, omnia minus sunt, si nostrum

ex.

expendamus finum, qui solo intus contento Deo contentus erit. Reliqua non satietatem faciunt, sed discrimen.

9. Octobris.

Jure sperandum est, quod cum spiritualibus, temporalia quoque incrementa non sine amplificatione provenient. S. Ignat. Epist. ad Regem Abyssi.

Non adeo illiberalis est Deus, ut quæ etiam inimicis suis sat copiose tribuit, amicis suis deesse velit. Fecundissimus ager est ejus dextera, cui dum tua credis, centuplo reddit cum favore.

Qui dat, quæ majora sunt, minora non negabit. Dona, quæ spiritum, quæ cælum respiciunt, vera dona sunt; temporalia inter quisquillas censentur: quia tamen necessaria sunt, à suis desiderari Deus non sinit.

Suo Deus obsequio addictos non ut seruos, sed charorum instar filiorum fovet quàm parùm proinde pia mater sui partus obliviscitur, tam parùm suâ Deus eos ope destituet, quos recepit in sua.

Illius providentia providet omnibus, feras, & volucres opipare nutrit, vestit lilia,